



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Periclitatur à seculo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

mas Numinis grates agere, ad precari que ut pro indulgentissima sua pietate pueros omnes eodem præuenire vellet munere, ut optima præoccupati doctrina, matureque à turbis, ac periculis mundi semoti discerent salutaria magis, quam vana sectari, ac recto consilio in studiis literarum versantes sapientia solida ad suam, Ecclesiæque sanctæ utilitatem, atque diuini nominis gloriam informarentur. Hac igitur in schola puer, adolescensque Canisius dubitares utrum in virtute, an literis maiores progressiones haberet, cum in utrisque haberet maximas; vicissimque se se utraq; studia eo validius adiuuarent, quo sincerius ipsam quoq; literarum disciplinam ad pietatis apparatus, profectumque, atque ad Dei gloriam referebat. Sunt qui tradant etiam solitum interstudendū demortui hominis caluariam in lucubratoria mensa habere propositam, quæ continent oculis, & animo obuersaretur: aptum sanè inuentum ad percipiendam philosophiam, quæ mortis meditatio definitur, & ad studia ultra mortem dirigenda, extendendaque in omnem æternitatem.

Nec tamē omnino periculis caruit, quibus ab satana, ab seculo, à domestis, ab ipsa depravatio-

Periclitatur
à seculo.

C 2 ne na-

ne naturæ teneræ hominum mentes excipiuntur. Reuersus aliquando in patriam, vt ætatis feruor accesserat, & aberat fida Præceptoris custodia, paullatim videbatur ad laxiora vergere: & parentes, atque cognati, quo clariora videbant rerum magnarum semina, & maiora futuræ claritatis exordia, cùm præsertim ille stirpis maximus esset, hoc magis ea cōuertere ad humana domus incremen- ta studebant. Hæc enim in plerisque mortalium prauitas viget, vt ingeniorum præstantissima quæque, ad cœlum suo quasi nutu euolantia pro sor- dido quæstu, vel inani splendoris umbra affligere conentur humili, terræque cæno immergere. Sed ex mora productiore quiddam subueritus sagax præceptor, tempestiuè Nouiomagum aduolauit, confirmauitque ita nobilem cœlestis sapientiæ candidatum, vt is & nuptiis, quas optima condi- tione, & Ecclesiasticis honoribus, quos opimos obtrudebant, remisso nuncio, Coloniamque ex templo reuersus, totam ad Deum curam transferret. In ea cura perseverans, continenterque profi- ciens ad ætatis annum vnde uigesimū venit. Quo anno ipsa beato Mattheiæ Apostolo sacra luce & perpetuam Deo castimoniam cuius ad eam diem illi-

*Nuptias, &
bonores Ec-
clesiasticos
repudiavit.*

*Virginitatē
vouet anno
ætatis 19.*